

Leistungskurs Bayern 1997

Gleiches Recht für alle!

(Liv. 4,4,1-5,6 m. A.)

In der römischen Frühzeit war den Plebejern der Zugang zum Konsulat verwehrt. Ebenso waren auch eheliche Verbindungen zwischen den Ständen nicht zulässig. Der Volkstribun Canuleius kritisiert in einer Rede diesen diskriminierenden Zustand und fordert Reformen:

Nemo de plebe, Quirites, post reges exactos consul fuit. Quid? Nullane res nova institui debet? Et, quae nondum sunt facta - multa enim nondum sunt facta in novo populo - , ea ne si utilia quidem (1) sunt fieri oportet?

Pontifices, augures Romulo regnante nulli erant: ab Numa Pompilio creati sunt. Consules numquam fuerant: regibus exactis creati sunt. Dictatoris nec imperium nec nomen fuerat: apud patres esse coepit. Tribuni plebis, aediles, quaestores nulli erant: institutum ius est, ut fierent. Decemviros legibus scribendis intra decem hos annos et creavimus et e re publica sustulimus. Quis dubitat, quin in aeternum urbe condita, in immensum crescente nova imperia, sacerdotia, iura gentium hominumque instituantur?

Hoc ipsum, ne conubium patribus cum plebe esset, nonne decemviri tulerunt (2) cum summa iniuria plebis? An esse ulla maior aut insignitior contumelia potest quam partem civitatis - velut contaminatam - indignam conubio haberi? Quid est aliud quam exilium intra eadem moenia pati? Ne adfinitatibus, ne propinquitatibus immisceamur, cavent (3), ne societur sanguis.

Quid? Cur non sancitis, ne (4) vicinus patricio sit plebeius nec eodem itinere eat, ne idem convivium ineat, ne in foro eodem consistat? Quid enim in re est aliud, si plebeiam patricius in matrimonium duxerit, si patriciam plebeius? Nec, quod nos ex conubio vestro petamus, quicquam est, praeterquam ut hominum, ut civium numero simus. Si haec impedit aliquis, nemo est nomen daturus, nemo arma capturus, nemo dimicaturus pro superbis dominis, cum quibus nec in re publica honorum nec in privata conubii societas est.“ (237 Wörter)

-
- | | |
|----------------------|--|
| (1) ne si ... quidem | nicht einmal, wenn |
| (2) ferre | hier: gesetzlich beantragen |
| (3) cavent | Ergänzen Sie als Subjekt <i>patricii</i> |
| (4) sancire, ne | hier: verbieten, dass |